



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreas Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quod sit forum competens, & quibus modis constituatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

TITULUS II.

De foro competenti.

§. I.

Quod sit Forum competens, & quibus modis constituatur.

1. Quid Fori nomine intelligatur.
2. Et quid Forum competens.
3. Sortitur quis forum Ratione domicilii.
4. Ratione rei sita.
5. Ratione contractus. 6. Delicti.
7. Privilegii.
8. Ratione Collegii vel universitatis, in quam adsumptus est.
9. Ratione consensu & prorogationis.
10. 11. Clericus tamen consentire in iudicem laicum non potest regulariter.
12. Laicus quibus casibus subiciatur Iudici Ecclesiastico.

Iurisdicatio seu fori competente totius iudicii contentiosum est fundamentum, ita ut ea deficiente ne quidem sit iudicium & nullitas ex eius defectu proveniens, irreparabilis atque insanabilis reputari consueverit Ideoque summopere præcaendum est actori, ne coram Iudice incompetente reum conveniat: ac proinde etiam post tractatum de Iudiciis in genere, priusquam veniamus ad reliquos iudicii actus, dispici debet, quis dicatur Iudex alienius competentis, & quod Forum competens inter quodam modis quis forum sortiat. Ubi præmittendū, quid Fori nomine hic intelligatur.

1. Forus igitur seu Forum, omisissis aliis significationibus, dicitur tum locus ipse exercendarum litium, in quo quis conveniri potest, *c. Forus inf. De verborum significatione l. In hac 30. l. Secundum divi 32. Cod. De donat. l. fin. Cod. Vbi in rem actio*, &c. tum territorium, in quo quisque Iudex habet iurisdictionem: quo pacto tota dicitur territorium Episcopi, *can. Omnis XVI. q. 7.* Aliter dicitur tribunal & sedes ipsius iurisdictionis, *l. 1. D. De iudiciis, l. 14. Cod. eod. vel auditorium, l. 1. 4. §. 5. D. De re iudicata.*

2. Unde Forum competens vocatur hic tri-

bunal, cuius iurisdictioni reus subiicitur: nam regulariter actor sequi debet forum rei, *c. Si Clericus 4. c. Cum sit generale 8. h. t. l. iuris ordinem Cod. De iurisdic. om. Iud. & similiter Index competens dicitur is, cuius iurisdictioni reus subiicitur, id est coram quo actio seu lis proponi & decidi potest; vocatur Iudex suus *l. 49. D. De iudiciis, l. 6. C. De iurisdic.**

3. Variis autem modis quis sortitur forum primò ratione Domicilii: nam eius iurisdictioni subest reus, in cuius territorio domicilium habet, *c. Dilecti 17. & ult. h. t.* Censetur autem quis ibi domicilium habere, utiarem rerum fortunarumque suarum summam constituit, *l. Civis Cod. De incolis lib 10.* ita ut inde non sit discessurus, modò nihil avocet, *Glof. in l. fin. in V. inter absentes Cod. De præscript. longi temporis: vel solum ubi maiorem partem bonorum suorum possidet, aut habitandi animo frequentius versatur, l. 2. Cod. Vbi Senatores vel clarissimi &c.* Quod si quis pluribus in locis æquè instructus sit, nec minus in uno loco, quam in alio, moretur, in omnibus illis censetur habere domicilium, *l. Labo 5. cum l. seq. §. penult. D. Ad municipalem, Glossa in d. l. fin. sicut & contra sine domicilium est, qui eo relicto navigat, vel iter facit, quærens, quò se cõferat, atque ubi se constituat, *l. Eius 27. §. Celsus in fine D. Ad municipalem.* Mutatio verò domicilii non perimit instantiam coram Iudice domicilii cõptam, sed iudicium ibi finiri debet, ubi inchoatum est, *c. Proposuit 19. h. t. l. Si quis postea quam 7. & l. Vbi acceptum 30. D. De iudic.**

4. Secundò, ratione Rei sita: & ideo actione in rem vel mixta conventus, coram eo Iudice respondere cogitur, in cuius territorio res sita est, *c. Sanè & c. ult. h. t. & l. ult. Cod. Vbi in rem actio exer. deb.* Nec refert, res immobilis sit, an mobilis, *l. Quod legatur 28. D. De iudiciis:* dummodò in loco, in quo sita est, sit permanens, nec custodiæ tantum causa ibi constituta; Aliàs si actione in personam, sive rei immobilis sive mobilis nomine agatur, rei domicilium sequendum erit *d. c. fin. nisi cum bonis in loco sitis concurrat locus contractus, arg. l. Hares absens 19. §. proinde D. De iudiciis.*

5. Tertio, ratione contractus: nam contractantes sistere se debent iudici eius territorii in quo cõtraxerint sive ad agendam sive ad defendendam

dam causam suam, licet alibi domicilium habeant, *d. c. ult. &c. 1. eod. in 6.* Nisi contractus implementum & solutio in alium locum destinata sit, quia tunc non in loco contractus, sed in quem destinata est solutio, forum sortiuntur; contractus enim unusquisque in eo loco intelligitur, in quo se, ut solveret obligavit, *l. Contraxisse 11. D. De obligat. & act. l. 1. C. De juris d. l. unica C. Vbi conveni. qui certo loco dare promisit. Covar. Pract. q. c. 10. n. 5.* Idemque dicendum, si convenit, ut alter contrahentium alio loco se defendat seu respondeat, *d. c. Dilecti 17. h. t.* Quo pacto autem sortiatur quis forum ratione contractus initium mercatore adventa, vel viatore brevi discessuro, vide in *d. l. Hares absens §. 2. D. De judiciis.* Ceterum contractus sumitur hic non solum pro contractu vel quasi contractu, utro citi oque obligatorio, sed pro omni pacto, vel utrimque vel ex una parte tantum obligatorio, sive pro alio quolibet pacto, ex quo obligatio oritur: ita ut etiam hoc nomine veniat administratio tutelæ, curæ transactio, donatio, & alia similia, *d. l. Hares absens §. 1. cum l. seq.*

6. Quarto, ratione Delicti: nam ejus Judicis forum quis torretur, in ejus territorio deliquit, *cap. Postulasti 14. &c. ult. h. t.* Et ideo Judex apprehendens reum, etiam militem in loco delicti, potest reum inibi punire pœna, tam corporali, quam pecuniaria, pro qualitate delicti, *l. Si cui §. idem imp. & l. fin. D. De accusat.* Cessat enim fori privilegium ratione delicti, *cap. 2. inf. de privilegiis:* de quo tamen, & quo pacto id verum sit, vide Panormit. in *c. fin. h. t.* Quid si delinquens citatione præventus, fines loci, in quo deliquit, exiverit, etiam absens, legitima cognitione præcedente convictus, condemnari poterit. Panormit. in *d. cap. fin.* Sin latitet, quominus citari possit aut citatio ei insinuari, citabitur per edictum, in loco delicti publicandum, & valvis portarum vel Ecclesiarum affigendum, *per ea, qua habentur in Novell. Nulli judicium §. si quis verò:* ad hoc scilicet, ut missio fiat in possessionem bonorum, quæ in loco delicti habet, non verò ut quidquam in ejus personam statuatur, Panormit. in *d. cap. fin. num. 6.* Et, si crimen fuerit atrox, poterit Judex delicti requirere Judicem domicilii seu loci, in quo degit, vel latitat, ut ipsum citet, & remittat: eique Judex rogatus (si nondum eum ipse ca-

stigaverit, præmissa summaria cognitione super veritate commissi delicti) obsequi debet & delinquentem remittere, ex iuris communi dispositione, alioquin hodie in plerisque locis de consuetudine contrarium servatur. Si verò crimen levius sit, non habet locum remissio, sed delinquens, ubicumque reperiat, condigna pœna puniri potest, *l. 1. Cod. Vbi de crimine &c.*

7. Quinto, ratione Privilegii. Ica Clericus non potest conveniri, nisi coram Judice Ecclesiastico, sive criminaliter sive civiliter agatur, *c. Cum contingat 13. &c. Postulasti seq. h. t.* adeo ut Judex laicus, qui Clericum per se distinxerit, aut condemnaverit, siveo nomine excommunicandus, *c. 2. eod.*

8. Sexto, ratione adumptionis in aliquod Collegium, vel Universitatem quis subicitur cognitioni Præfecti ipsius Collegii vel Universitatis, *l. fin. C. De jurisd. om. iud. Aurb. Habit. Col. Ne filius pro patre &c.* dummodò hæc corpora auctoritate Principis coierint, *l. 3. D. De elec. leg. illicitis.*

9. Septimo, ratione Consensus: ut si quis citatus in Judicem non suum consensit, sive, ut loquuntur, Judicis incompetentis iurisdictionem in se prorogaverit, *c. Significasti 18. h. t. cap. P. & G. sup. De off. deleg. l. 1. & 2. & ibi DD. C. De judiciis, l. Si conveneri D. De jurisd. om. iud.* Nam cuique liberum est favori suo & per eum quens foro sive exceptioni fori declinatorie renuntiare, & in alium Judicem convenire, *l. p. null. Cod. De pactis * 10.* A qua tamen regula excipitur iure Pontificio Clericus, qui privilegio fori sui renuntiare ne quidem iurato potest, & prorogare in se iurisdictionem iudicis laici, *cap. Si diligenti 12. h. t.* quia hoc privilegium, ne coram Judice laico conveniatur Clericus, non est datum in favorem Clerici illius, qui convenitur, sed in favorem totius ordinis Clericalis, & sic est publicum: atqui privatorum pactioe ius, quæ sunt iuris publici, derogari nequit, *l. Inrisgenium 7. §. si pactetur D. De pactis.* Quinimò Clericus prohibetur prorogare in se iurisdictionem alterius Judicis Ecclesiastici, nisi cum consensu sui Episcopi, *d. c. Significasti h. t.* Hoc ideo, quia Clericus ratione Ordinis s. scriptus ab Episcopo, vel beneficii ab eodem accepti, aut sub eius iurisdictione sit, multo atque subiectus est Episcopo suo, quam laicus suo Judici.

11. Sunt tamen casus quidam, quibus Clericus coram iudice laico conveniri potest, & è contra laicus coram Ecclesiastico. Atque in primis Clericus coram laico, si sit vasallus laici, & de feudo controversia oriarur, coram domino feudi vel partibus curiæ conveniri debet, *c. Ex transmissio 6. cum e. 3. seq. b. t. Gaill. 1. Observat. 37. Martia 4. p. Dist. 11. n. 75.* Idque ratione directi domini, quod penes ipsum dominum est; & quia natura causæ ad se personam trahit, non è diverso.

Secundò, si prima tantum confusa sit initiatus, aut in minoribus Ordinibus constitutus, aut conjugatus, secundum tamen dispositionem & formam Concilii Trid. Sess. 23. c. 9. *De reformat. juncto c. unico De Clerico conjugato in 6. Gutierrez Pract. quæst. civil. lib. 1. qu. 7.* vel si bigamus sit, *c. unico De bigamia in 6.* aut jaculatoriam artem per annum exercuerit, vel saltem ea de re termonitus non recipuerit; nam hoc casu omni privilegio clericali exiit, *c. unico De vita & honest. Cleric. in 6.* sicut & is, qui in assassinatus crimine deprehensus est, *c. 3. De homicidio in 6.*

12. Si diverso laicus, multis casibus secundum Canones subicitur Judici Ecclesiastico, ut si possideat & detineat res Ecclesiæ, vel Clerici, *c. Si Clericus 5. h. t.* si rapuerit vel in vaserit res Ecclesiæ, *c. Cum sit generalis 8. eod.* si jus aliquod Ecclesiasticum usurpet, *c. Conquestus 16. eod.* Idem si Judex laicus desit officio suo in administranda Justitia, potest laicus trahi ad Judicem Ecclesiasticum, *c. Licet 10. e. c. Ex tenore 11. eod.* Denique miserabilis persona, veluti pupillus, aut vidua, ut de possessione dejecta potest coram iudice Ecclesiastico agere ad possessionem suam recuperandam, *c. Ex parte 15. eod.* Alias secundum regulam cogitur, sequi forum rei, *d. c. Ex tenore h. t.*

Ubi autem dubium est, an vocatus de foro seu jurisdictione sit vocantis, tenetur hic comparere, & incompetentiam Judicis allegare: tum Judex ipse æstimabit, an sit suæ jurisdictionis, an alienæ, *l. Si quis & ex aliena D. De judiciis, c. 1. c. Cum persona inf. de privilegiis Vide inf. §. 3. n. 7.*

§. II.

De requisitis ad prorogationem Judicis,

1. *Et debet prorogatio in iudicem, qui habeat jurisdictionem.*

2. *Et quidem ordinariam non delegatam.*

3. *Consentiente utroque, & renuntiantis & adversario ejus.*

1. **V**T tamen prorogatio jurisdictionis in iudicem non suam substat, necessum est, ut is habeat jurisdictionem, sufficientem ad cognitionem & decisionem causæ quæ interligantes vertitur: ut, si causæ sit spiritualis, jurisdictionem habeat spiritualem, si criminalis, non solum possit de causâ civili cognoscere, sed etiam de causâ criminali, criminaliter intenta, habeatque potestatem crimina coercendi. Alioquin non tam esset jurisdictionis veteris prorogatio, quam novæ collatio, quæ non est in potestate privatorum, *l. Privatorum Cod. De jurisdic. em. ludic.*

2. Secundò, Jurisdictio, quæ prorogatur, debet esse ordinaria, non delegata: nam cum jurisdictio delegata non sit ipsius delegati, sed delegantis propria, *l. 1 §. fin. l. Et si Prætor D. De jurisdic. ejus cui mand. est jurisd.* non potest ultra personas, in instrumento delegationis expressas, de ipsarum consensu prorogari, *c. P. & G. sup. De officio ludo deleg. nisi intercedat delegantis consensus, Panormit. ibid. Quamvis mandata alicui jurisdictioni ad certum diem vel tempus, possit de communi partium consensu prorogari, *c. De causis sup. eod. l. 2 §. sed si iudex D. de judiciis.* Quemadmodum etiam Judex ad certam usque summam judicare iustus, potest de re majoris minorisve quantitatis judicare, si partes consentiant, *d. l. 2 §. 1. l. Inter convenientes, 28. D. Ad municipalem sive is Judex sit ordinarius, sive delegatus, Accurs. md. l. 1. quia diversitas quantitatis nõ inducit diversitatem jurisdictionis. Similiter Judex, iustus de causâ sibi commissa certo loco cognoscere, potest alio loco de ea cognoscere, si partes expresse consentiant, *c. Statutum §. in nullo De rescriptis in 6.* dummodò, si Ordinarius fuerit intra fines sui territorii de ea cognoscat.**

3. Tertio, Utriusque, & renuntiantis foro suo & adversarii, intervenire debet consensus, *l. 2. D. De judiciis, l. 2. Cod. De jurisdic. em. Lud.* qui tamen sufficit tacitus, *arg. d. l. 2. D. de judiciis, Bart. in d. l. 1. D. eod. tit.* Et eorum, qui de jurisdictione incompetentis Judicis proroganda convenerunt, potest alter, altero invito, recedere ab ea conventionione, re adhuc integra, *l. Si*

R

conve-